



Schola Latina Vindobonensis

2019W
Institut für Klassische Philologie,
Mittel- und Neulatein

*Omnis lingua usu potius discitur quam praeceptis,
id est audiendo, legendo, relegendo, imitationem
manu et lingua temptando quam creberrime.*

-Comenius

Qui prima elementa linguae Latinae iam didicerint et facultatem legendi audiendi scribendi loquendique exercere velint, ut *Scholam Latinam Vindobonensem* sequantur vehementer suademus. Qua in schola omnia Latine aguntur: Scriptores legemus, de locis praestantibus disputabimus, nec non summa ingenia historiae litterarum imitabimur, cum ipsi stilum in manum sumemus.

Spatio semestri quod imminet litteris varii generis studeamus et animos ad interpretationes, quae dicuntur, attendamus. Nam auctorum classicorum editionibus *In Usum Delphini* saeculo undevicesimo editis praeter ipsa verba auctoris faciles intellectu 'interpretationes' oratione soluta scriptae accedere solent, quibus perlectis auctores facilius et citius intellegamus. Est operae pretium eas interpretationes cum operibus ipsis conferre, ut discamus quae vocabula nimis obscura putantur, qui circuitus verborum lectoribus difficultates afferunt, quomodo facilius exprimi possint, quae scriptores poetice et ornate narrent.

Videbimus et nos opera Latine scripta multo facilius intellegere, si ante lectionem interpretationes legerimus. Nonnullis interpretationibus tractatis et ipsi talia scribere conabimur. Qua ratione cum quaedam opera melius cognoscemus, tum iucundo modo et sine ullo sudore nova vocabula et artis grammaticae regulas memoriae mandabimus.

Scholam Latinam moderatur Bernardus Söllradl, qui in Universitate Vindobonensi doctorandus litteris Latinis operam dat. Cui persuasum est unamquamque linguam, immo linguas mortuas (quae vocantur) melius disci posse, si linguam viva voce exercendi et experiendi copia datur.

Ubi? Seminarraum (=Bibliothek 2) des Instituts für Klassische Philologie, Mittel- und Neulatein

Quando? Diebus Veneris (=freitags); 13:15-14:45¹

¹ Ante diem V. Idus Octobres (=11. Okt.) primum, ante diem VIII. Kalendas Februarias (24. Jan.) ultimum conveniemus.